

N V N C V P A T O R I V M.

Postera secla, suisq; uehit nunc laudibus, orbis,
 Cecropiasq; mori diuini Helyconis Athenas
 Turba uetat, celebratq; æterno Palladis almæ
 Nomine & ingenio dignam pugnacis ^{AΘΗΝΗΣ},
 Quæ sibi certandum summi cum fratre Tonantis,
 Iudicibus diuis pro docta credidit urbe.
 Non tantum æquorei fauor atq; potentia Regis,
 Aut uires ualuere, suum qui claisibus æquor,
 Concessisse amplis frustra iactabat Athenis,
 Totq; per undosum pelagus data regna, tot oras
 Bellis adiectas naualibus æquore in alto,
 Defensamq; suis hanc ostentabat in undis
 Urbem, quam terra ferro uastârat, & igni,
 Ac fundamentis iam penè euerterat ipsis,
 Innumneris armatus equis, & milite Xerxes.
 Quem contra breuiter uultum demissa, profata est
 Docta Minerua. Meo dici de nomine Athenas,
 Iuppiter alme pater, superiq; æquissima causa est.
 Si qua fuit, nostris fuit artibus, ingenioq;
 Arte domiq; forisq; stetit, non uiribus ullis.
 Si tulit arma, meis tulit artibus illa, feretq;
 Consilio forti uis est depulsa meorum
 Ingenioq; ducum. Testis consultor Apollo est:
 Aut hoc si potuit patruus, cur transitus hosti
 Est datus? undosum cum per mare littus Achium,
 Vicinasq; oras inuaderet urbis amicæ.
 Regna uiasq; maris, nisi qui cœlestia nouit
 Signa dedit nemo. Cœco quid in æquore causæ est?
 Hæc effata silet. Victrix & honesta Mineruæ
 Causa dijs placuit, Mens hæc est una Deorum,
 Vrbes seruari doctrina consilioq;
 Verius ac longè melius, quàm uiribus ullis.
 Ergo dedere urbi mansurum nomen ^{AΘΗΝΗΣ},
 Ingenijsq; immortalem florere beatis
 Iussere, insanis nimium non credere bellis.
 Hæc ego dum meditor communia fata uidebar
 Penè uidere mihi, data ab ipso Norica cœlo
 Vrbs tibi, cum doctis bene conuenientia Athenis,
 Vix alia est uarijs excultior artibus, inter
 Teutoniciregni uix est opulentior urbes,
 Vix ornamentis ciuilibus amplior ulla,

Aut